non [1] licere alii quidem facere, alii autem in prioribus manere: sed utrumque [2] celebrare omnino augmentum: & non in electione, sicuti prius, sed in necessitate causam consistere, omnino tamen quantitate æquali: hoc quod etiam nostri patris dicit constitutio [3]. Et ne contingat augmentum non ipsa fieri veritate, sed schematicum [4], & maxime in parte mulieris, & ne viri creditores circumscribat, privilegio utens: si [5] quidem habuerit uterque immobiles res, melius est in immobilibus fieri oblationem: [6] quatenus sit palam & indubitatum, quod quidem ab initio fuit, quod autem postea additum est. Si autem non utrinque immobiles res fuerint: mulierem omnino per immobiles res celebrare augmentum, ut & dos & augmentum similiter habeat adversus antiquiores creditores privilegium, undique indubitato augmento existente: vir autem in rebus immobilibus faciat augmentum: nulla enim hinc orietur læsio: si autem mulier immobilium habens rerum substantiam, in rebus mobilibus scribat augmentum: sciat privilegium non habituram, nisi in antiqua sola dote, non in figurato existente augmento. Quod enim ab initio factum est, in toto fine suspicione est: quod autem postea machinatum est contra creditores, hoc ipso introducit meditationem: & lædi homines ex dato a nobis dotibus privilegio, nullo volumus modo. Si vero non fuerit debitum contra virum ullum, neque suspicio contra creditores circumventionis, tunc & in pecuniis, & ut volunt, augmentum fiat ab eis: utrique tamen augmento sic faciendo, & æqualitatem habente, ut æqualitatem servemus. Quæ enim erit circumventionis suspicio, viro obligato nulli existente, & præterea augmentis sine tergiversatione factis?

CAP. III.

De privilegio dotis, & creditorum ex causa militiæ emptæ.

HIs [7] consequens est & illud decernere, quod in casibus hujusmodi dubitatum est. Novimus & antiquioribus creditoribus aliquas hypothecas præponere juniores [8] existentes, ex privilegiis a legibus datis: quale est quando aliquis propriis pecuniis procuraverit navem [9] comparare [10], aut fabricare [11], aut reparare [12], aut domum [13] forsan ædificare, aut etiam emi [14] agrum, aut aliquid horum: in his enim omnibus priores existunt posteriores creditores, quorum pecuniis empta [15] aut renovata res est, iis qui etiam multo antiquiores sunt. Quæsitum est igitur, si mulier prætendens privilegium super antiqua dote, & augmentum, in [16] quo etiam hoc servatur privilegium, (sicuti prædictum est) prioribus voluerit præponi creditoribus: veniat autem & alter creditor posterior [17] quidem, prætendens autem pecuniis suis emptam [18] aut reparatam navem, aut domum, aut agrum, aut competere, eum in his rebus quæ ejus pecuniis emptæ aut reparatæ sunt, habere prædictum privilegium: utrum [19] oporteat dotem etiam talibus præponi: in aliis quidem prævalere creditoribus, quicunque non talia prætendunt: his autem cedere, quoniam [20] ex eorum substantia res acquisita est. Plurimum igitur super his cogitantes, non invenimus mulierem juste existentem [21] cedere alicui tali privilegio. Videbamus enim (quæ causæ absurditas est) quia aliquis quidem fornicantibus mulieribus ex proprio corpore advenit quæstus, & vivunt ex hoc quæstu: adversantibus autem, & quæ semetipsas atque substantiam ad virum introducunt, non solum nullus sit quæstus a viris male degentibus, sed etiam minuantur, & spes eis nulla sit. Volumus igitur secundum hoc, ut si quis domum renovasset [22] aut etiam agrum emisset, non possit talia privilegia mulieribus opponere. infirmitatem namque muliebris naturæ fatis novimus, & quia facile circumventiones funt adversus eas, minui autem eis dotem nullo finimus modo. sufficit enim quod a lucris cadunt, si priora antenuptiali donatione inveniantur, & sufficiens quoddam extet eis ex hoc damnum: non etiam eas volumus & circa ipsam dotem periculum sustinere.

CAP. IV.

Ut [23] excipiantur hoc privilegio creditores in emptione militiæ.

QUia vero & hujusmodi quædam additiones nobis factæ sunt, eo quod quidam aliorum militant pecuniis, & oportet eos qui in has crediderunt causas [24] præponi: sancimus, si quis crediderit aurum occasione militiæ, sive statutum fieri, vel pro aliis quibusdam talibus causis: & expressim [25] hoc ipsum scribatur in instrumento: & in hoc fiat pactum, *ut casu proveniente, prior sit solitus, qui ad hoc creditit?* [&] huic solo [26] casui cedere mulierem: neque facile credendum, neque per testes, sed negotio ex scripto gesto, & testium habente subscriptiones, & ipso opere procedente: tunc enim, si per omnem hujusmodi viam causa procedat, suspicionem non habeat, & competit contrahentes proprius non privari: aliis omnibus prævalere mulierem, secundum quod jam a nobis eis datum est privilegium.

CAP. V.

De dote remeante ad patrem, & rursus data pro eadem filia secundo viro [27].

QUia [28] vero jam legem scripsimus, ut patres semel offerentes dotem pro filia sub potestate, aut suæ quidem potestatis, reversionem autem in semetipsos facientes: quæsitum est apud aliquos, si competens est moriente genero, & remeante ad patrem dote, quæ ab eo data est, hanc patrem semel offerentem, posse ad secundas veniente nuptias filia, minuere, aut hoc non facere, cogitantem, quia semel alienata est ab ejus substantia: sed ipsa mensura ei nubenti rursus dare, tanquam si nec contigisset viduatam: hoc [29] enim nunciatum est, quia triginta librarum auri quidam pater existens obtulit dotem: deinde filia viduata, & ad secundas veniente nuptias, non jam triginta libras ipse obtulit, sed quinque & decem solas: quoniam contigerat mulierem, lucratam mediam antenuptialis donationis partem, in quinque & decem auri libras existentem: & pater nequaquam de suo obtulit triginta auri libras, sed quinque quidem & decem ipse, quindecim vero ex lucro mulieris. Non justum igitur existimavimus hoc esse: sed similiter in divisione habere quidem eam præcipuum antenuptialis donationis lucrum, ex paternis autem quinque & decem percipere reliquas: tanquam studuerit pater lædere filiam. Quid enim egisset, si non contigisset secundis eam nuptiis copulari, sed manere eundem generum vivum? Aut quomodo futurus erat minuere dotem jam a se datam, aut proprium illius lucrum, suum facere, & in dotem secundi viri deducere? cum utique oporteret eam in paraphernis hæc habere, & forsan propter hanc causam ditiori nubere viro: non solum triginta librarum auri dominam factam, scilicet quindecim antenuptialis donationis, & quindecim a patre oblatis: sed quadraginta & quinque, lucrum quidem in paraphernis ei constitutum, fortuna ei datum: quod autem ex largitate paterna oblatum est, manente integro. Hæc autem sancimus, & si patris substantia manserit in ipsa figura in qua prius fuit. Sin autem fortuita quædam clades imminuerit ejus substantiam, ut neque volenti sit possibile æquæ mensuræ qua prius dare rursus dotem, & probetur a patre fortuita deminutio patris substantiæ: tunc non amplius cogi patrem dare secundo filiam jungentem nisi in quantum substantiæ virtus est: sed lucrum quidem prioris antenuptialis donationis habere integrum, tantam vero percipere a patre in secundo ordine dotem, quantum substantiæ ejus mensura susceperit. palam enim est, quia hoc lucrum quod ex antenuptiali dicimus donatione, (cujus solum ei usum damus) ex omni necessitate moriens restituet filiæ, proprietatis antenuptialis donationis dominæ omnibus modis factæ.

CAP. VI.

De [30] collatione dotis inope moriente marito.

ILlud [31] quoque sancire necessarium existimavimus, in plurimis videlicet & innumeris rebus quæsitum: obtulit enim pater dotem, aut forte mater pro filia sua. hanc autem illa obtulit marito: & defunctus est vir inops, deinde patre & matre mortuis, exigitur quæ nuptit, conferre suam dotem, aut minus [32] tanto accipere. Si [33] quidem vir idoneus est: causa undique absoluta est. Si vero nullius alterius domina consistit illa, nisi actionum quæ contra maritum sunt, at illæ minus idoneæ sunt: & objiciatur mulieri, quod jam data sit dos pro ea: illa vero actionem conferat, nullum habentem penitus effectum legis: causa nobis digna putata est. Et novimus quidem jam in plurimis judiciis duritiam postea fic judicatam, & mulierem coactam conferre dotem: aut certe reputare pro se datam, ex qua nullum ei omnino contigit effectum in ipsis rebus accipere. Nos autem ex aliis nostris legibus juvamus causam. Quia enim dedimus [34] mulieribus electionem etiam constante matrimonio, si male res maritus gubernet, & accipere eas, & gubernare, & secundum, in causas superiores sit creditum? mulier præferetur: ne alioqui marito dolo malo minuere dotem uxoris liceat. Quid si creditor post dotem mulieri constitutam pecuniam mario crediditi, ut ipsi emeretur militia? Hic utique muliere potior fungitur jure, *J. hic.* An mulier præferatur omnibus creditoribus anteriorem hypothecam etiam expressam habentibus, dicam ad Novellam 109. *cap.* 1 & *l.* 12. *Cod. qui potior.*

1 Quando licet mulieri dotem suam augere, Jul. *n.* 342. 2 Et ita tollitur lex 29. *C. de donat. ante nupt.* 3 *l.* 19. *C. de donat. ante nupt.* 4 Id est, coloratum. 5 Si quo tempore maritus dotem auget, aere alieno non laborat, dotem potest augere: si laborat, dotem augere potest immobilibus datis, est enim immobilium φανερὰ ἀτίμησις mobilium, ἀφανὴς non mobilibus. 6 Incrementum. 7 Hinc sumpta est Authentica, *Quo jure, C. qui potior.* Goth. Vid. Ritterhus. *part.* 5. *c.* 3. Anf. 8 Posteriores hypothecæ interdum prioribus præferuntur, *ut J. hic. l.* 5. *l.* 6. *ff. qui potior.*

9 *Ut l.* 5. *l.* 6. *ff. qui potior. in pign.* 10 Creditor cujus pecunia navis, domus, ager emitur, anterioribus creditoribus præfertur. 11 Qui credit pecuniam, ut navis fabricetur, licet tempore posterior, in ea tamen navi priorem habet hypothecam.

12 Privilegium nota credentis ad reparationem navis, 13 Nota de privilegio credentis in ædificationem domus. 14 Nota de privilegio credentis in emptionem agri. 15 Nota de privilegio credentis in emptionem aut renovationem rei. 16 Privilegium dotis ab initio constitutum, porrigitur ad augmentum dotis postea factum; licet privilegia strikti juris sint: quinimo porrigitur quoque cum jure prælationis, vid. Negutant. 2. *de pignor. n.* 46. *& seq.*

17 Quid si prior? Antonius Mercator 3. *not.* 14. negat, mulierem et præferri, sed eo casu inter eiusmodi creditores & mulierem ordinem servari. 18 Qui pecuniam credidit in emptionem vel reparationem navis, domus, vel agri, prioribus creditoribus est potior, *ut hic*, si modo nominatim in eum casum vel finem pecunia numerata, & si in eos casus conversa est. vid. Nyslinger 1. *obf.* 60. 19 Dos præferitur ei, qui credidit marito ad rem aliquam comparandam, vel renovandam, vel aliquid faciendum. ad de Harm. 8. 6. 27.

20 Quoties alicujus pecunia res empta est. is in ea privilegium ante priores creditores habet. 21 Justum non est, ut dos mulieris illis creditoribus cedat, quorum pecunia res empta est aut reparata, etiam si ex eorum substantia res marito adquisita est vel ab eo reparata: cum possit ita fraus fieri dotibus mulierum & consequentia dos minui. 22 Qui credidit pecuniam, ut domus renovaretur, *ut hic*, vel emeretur, 3. *hic.* ibi, *emi agrum ad aliquid burum*: & ibi, *emptam domum*: vel ædificaretur, *sapr. hic.* ibi: *ædificare*: vel repararetur, *ibi*, *reparata sunt.* Item qui pecuniam credidit, ut navis compararetur, *S. eod.* armaretur, reficeretur, *l.* 5. *ff. qui potior.* Item qui pecuniam credidit, ut ager 3. *hic.* vel prædium emeretur, *l.* 7. *C. qui potior.* In ea re, & ad concurrentem quantitatem sui creditori, cæteris aliis creditoribus, licet anterioribus, expressim vel tacitam, generalem vel specialem hypothecam habentibus, præfertur. Si talis creditor anteriores excludit, multo magis & sequentes, minus enim habent privilegii sequentes, quam anteriores. Demus, post pecuniam ita creditam mulierem marito dotem afferre, nam præferetur hujusmodi creditor mulieri? præferri quibusdam videtur, quia, singulari privilegio dos præfertur creditoribus anterioribus. Singulari, inquam, contra regulam generalem. qui prior est tempore, prior est jure, *l.* 2. *Cod. & l.* 51. *ff. qui potiores.* Non tamen ita sit hoc casu: ut hujus constitutionis sententia contrario sensu arguit, his ex verbis de sumpta, *veniat autem & alter creditor posterior, &c. hic.* Quid si post dotem mulieri constitutam, in causas superiores sit creditum? mulier præferetur: ne alioqui marito dolo malo minuere dotem uxoris liceat. Quid si creditor post dotem mulieri constitutam pecuniam marito crediditi, ut ipsi emeretur militia? Hic utique muliere potior fungitur jure, *J. hic.* An mulier præferatur omnibus creditoribus anteriorem hypothecam etiam expressam habentibus, dicam ad Novellam 109. *cap.* 1 & *l.* 12. *Cod. qui potior.*

23 *Novell.* 53. *cap.* 5. § 1. Goth. Adde *Novell.* 35. & Ritterhus. *part.* 2. *cap.* 8. & *part.* 5. *cap.* 3. & 5. Anf. 24 Emendæ scilicet militiæ. 25 Id est, specialiter. *Nov.* 53. *c.* 5. *Nov.* 136. *c.* 3. *l.* 17. *C. de pign. l.* 7. *C. qui potior.* 26 *l.* 3. *C. de primipilo.* & ita mulier, licet tempore prior, cedit ei, qui posterior tempore crediit ad emendæ militiæ casum & sibi specialiter (*ibi expressim*) jus pignoris & privilegii in eum stipulatus est, ibi, *ut prior sit solus*: instrumento in eum finem facto, *ibi, neque facile credendum, neque per testes, sed negotio ex scripto gesto.* J. *hic. Novell.* 136. *c.* 3. non quidem leviter aut tumultuario, sed habente testium subscriptiones, *ibi*, *testium habente subscriptiones.* J. *hic:* ut ex pacto nemo præferatur mulieri antiquiori, eo excepto, qui crediidit mulieri emendæ causa, quique in eam jus hypothecæ stipulatus est, & instrumentum de ea re confecit, subscriptum a testibus, quod Galli possunt ad eum referre, qui emendi officii regii causa mutuum dedit. 27 Et ut dos eadem quantitate filiæ a patre constituatur secundo nubenti, quæ primis in nuptiis et constituta fuerit, adde Scholiasten Harmen. 4. *tit.* 8. § 10. & 51. 28 Hinc sumpta est Authentica, *Sed quamvis. C. de vei uxor. act.* 29 Hoc mandatur, ut eadem quantitas dotis, filiæ in secundis nuptiis a patre serveur, nisi pater prioraverit fortuito quodam casu substantiam suam diminutam esse. Quid si 30. solidorum dos fuerit & filia 15. ex antenuptiali donatione lucrata fuerit, utrique summæ filiæ sunt reliquendæ, Julian. *hic num.* 345. sed eo casu filia lucrum in paraphernis habet, non in dote, vid. Cujac. *hic.* Quo jure superiora sic constituta sint? quod dos mulieris sit patrimonium, licet in patris sui potestate sit, *l.* 3. § 5. *in fin. ff. de muneribus. l.* 16. *ff. de religiosis. l.* 14. *ff. ad leg. Falc. l.* 4. *ff. de collationibus.* 30 *Nov.* 18. *c.* 6.

31 Hinc sumpta est Authentica, *Donationem. Cod. de jure dot.* & Authentica, *Quod locum. Cod. de collat.* 32 Η παρὰ τοῦτο λαβεῖν. J. *hic.* ἐν τῷ παρὰ τοῦτο τὸ συμπληρῶσαι πωλοῦσι. hinc illud Gallis usitatum, *Rapporter ou moins prendre*, *l.* 5. *Cod. de collat.* Adde a Harmenop. 9. § 1. 33 Filia, quæ se relus patris immisset, conferre fratribus dotem debet, aut tantum de bonis paternis remittere, *l.* 5. *C. de collat.* Quid si filia dotem integram a suo marito recuperare non potuit, eo fc. non existente solvendo? ne dicas id tantum conferre, quod a marito potest consequi, ut jure veteri, *l.* 1. § 6. *l.* 2. *ff. de dotis collat.* sed ita, si sui juris fuit, aut si, cum excessisset 25. annum in potestate posita, dotem amplam habuit, potuitque viro ad inopiam vergente, dotem repetere, nec repetiit, tunc enim integram dotem conferet, nec liberabitur, inanem actionem coheredibus suis conferendo. Si non ampla fuit dos, id est, si minor centum, liberabitur. *Novell.* 22. quod eo casu fine voluntate patris agere non potuit, utique si pater ejus dotem non petierit, liberabitur nudam actionem dotis sororibus.

34 *l.* 24. *ff. sdsp. l.* 29. *l.* 30. *in fin. C. de jure ejus.*

dum decentem modum, & sicuti nostra constitutio [1] dicit: si [2] quidem suæ potestatis, & perfectæ ætatis mulier est, sibimet [3] culpam inferat, cur mox viro inchoante male substantia uti non percepit, & non auxiliaria est sibi: (sic enim habitura erat in collationis ratione proprias res undique, & sine deminutione, & in ea minus tanto collationem facere.)

§. 1. Sin autem sub potestate est, & sine patris voluntate hoc agere non poterat, si quidem adiens patrem hoc dixit, & contestata est ut consentiret ei, & res percipere etiam constante adhuc matrimonio, & secundis temporibus eas servare, & hoc egit pater, etiam rursus hic integra habebit sua jura, rebus ei suis servatis: cum etiam antenuptialis donationis res vindicare etiam constante matrimonio dederimus ei, & posteriori periculo omni liberari. Sin autem illa quidem hæc contestata [4] est patrem, ille autem, neque movit, neque consensit, & neque dedit licentiam filiæ hoc agere, non eam periculum pati, sed & conferri nudam actionem contra inopis mariti res, & fortunam esse communem, & ipsi, & ejus fratribus: non tamen ex collatione damnificari: sed competentem ei partem dari ex paternis rebus: actionem illa quidem conferente: ab omnibus autem movendam fratribus, & hoc proficiendo universis ipsis, quod fortunæ eventus dederit. Sed si quidem pater in talibus casibus obtulerit dotem, & de ejus substantia sperari futura est collatio, hoc valere. Si vero major forte oblatio fuerit, & collatio circa illam vertitur spem [5] ex patris inobedientia neque movere volentis, neque permittentis ei movere: tunc etiam per semetipsam filiam movere, & non habere occasionem, eo quod non potuerit movere, & sibimet auxiliari, & futuræ læsionis ex inopia viri adimere metum. Et novimus Ulpianum [6] sapientissimum talia quæsisse: & inope viro comperto, juvisse mulierem, & in [7] quantum vir idoneus est collationem ei fieri voluisse. §. 2. Sed quoniam in multitudine legum existentium antequam eas constitueremus, & ad conspicuum perduceremus ordinem, plurima & necessaria ignorabantur: & decreta quæ contraria vellent, a judicibus posita sunt: ne ulla seductio circa hoc fiat, propterea necessarium putavimus, proinde etiam in medio nostræ politæ constitutionis [8], quæ etiam constantibus matrimoniis mulieri auxiliatur, ad meliorem & magis consequentem viam venientes præsentem ponere legem. Ut autem non per partes enumeremus personas, in quibus valere eam oportet, generali sermone decernimus. Quapropter in quibus est collationis ratio, in his & constitutionem valere, sive pater, sive avus, sive mater, sive avia, aut ascendentium aliqua sit persona.

EPILOGUS.

† Quæ igitur placuerunt nobis, & per hanc sacram infinuata sunt legem, tua celsitudo per programmata propria, manifesta facere universis folenniter procuret, & in perpetuum servare festinet. Dat. 15. Kal. Decemb. CP. DN. JUST. PP. Aug. Anno XIII [9]. ARIONE [10] V. C. CONS.

TIT. X.

NEQUE VIRUM QUOD EX DOTE EST, NEQUE MULIEREM EX SPONSALITIA LARGITATE LUCRUM PROPRIUM HABERE: SED SERVARE DOMINIUM [11] SUIS FILIIS, VEL SI AD SECUNDAS NUPTIAS NON VENIANT, USU SOLO IN LUCRO [12] CONSISTENTE: ET UT EX REPUDIO TRANSIGENTES NUPTIAS, LUCRANTES AUT DOTEM, AUT ANTE NUPTIAS DONATIONEM, ET IPSIS SIMILITER DOMINIUM SERVENT FILIIS: USUM HABENTE PERSONA COGENDA FILIOS ALERE. SI VERO BONA [13] GRATIA SOLVANTUR NUPTIÆ: ET VIDEANTUR OCCASIONE DAMNI DETINERI QUÆDAM: ET HAC ARTE PERIMENDA QUÆ DETINENTUR, ET FILIIS SERVENTUR.

NOVELLA CONSTIT. XCVIII.

Imper. Justin. August. Joanni gloriosiss. sacrorum Orientalium prætoriorum præfecto, iterum exconsuli ordinario, & patricio.

PRÆFATIO.

EA quidem quæ semper idem se habent, legibus non egent variis, simplicitatem, & quod sine ullius diversitatis mixtura est, continue possidentia, & utentia legibus sempiternis ac sacris nulla correctione egentibus. Quod autem secundum nos est in redundationis comprehensum tumultu, *gubernativa* [14] indiget sapientia, ex legibus superveniente negotiis. Unde quoniam nos neque ad judicia segnes, multis interpellantium causis, singulis quidem medemur: comprehendentes autem unamquamque quæstionem dubitatam a nobis & judicibus nostris, per legislationem quæ oporteat agi, generaliter in unaquaque quæstione exponimus. Itaque illud ante omnia visum quidem est forsan esse priscis legislatoribus non sine quadam divisione: nobis autem putatum est bene se habere temperata lege ad simplicitatem causam transponere, & nunc inchoante, & nihil perscrutante horum quæ prius terminata fuit: quoniam & nobis ipsis pridem non displicentibus de hoc ipso legibus, visa sunt meliora secunda. Nuptialibus namque lucris si quidem aliquis conjunctorum servaverit pudicitiam manentibus apud ipsos valide, & eorum substantiis infixis: si vero veniat ad alterius personæ conjunctionem ex prioribus nuptiis filiis servandis, simplici quadam & meliori lege duplicem hanc placuit interimere. Si enim secundis mixta nuptiis mulier, aut etiam vir forte ad secundam respiciens conjugem: quæ ex morte lucrata sunt aut etiam ex repudio forte servat filiis, (cum utique forsan & alii erunt eis filii ex nuptiis sequentibus) quomodo justum est eos, qui in solis filiis legitimis moriuntur, non servare eis lucra ex mortuis eorum parentibus, sed aliis ea transmittere? scilicet quid erit pretiosius filiis parentibus non ingratis?

CAP. I.

Ut proprietas dotis & propter nuptias donationis servetur filiis.

PRopterea [15] igitur sancimus, si mulier moriatur, & eveniat lucrum fieri viro, dotem hanc omnino servare [16] filiis, sive ad secundas veniat nuptias, sive etiam non. Et ex diverso si mortuus fuerit vir, mulierem antenuptialis donationis lucra propriis filiis servare: usum quidem lucrorum ex nuptiis apud eos constitutum, proprietatem vero eorum filiis omnino servandam: his quæ super parentibus ad secundas venientibus nuptias sancita sunt, in suo ordine servandis: & hoc valere, matrimoniis quocunque modo solutis, ab hodierna die, & in omne quod sequitur: & his matrimoniis quæ jam soluta sunt quidem sive morte, sive quolibet alio modo, adhuc autem pendente, eo quod unus superstes sit. Nam si ambo defuncti sint, hoc heredibus non damus: sed tanquam semel terminatum, veteribus relinquimus legibus: illud certum est, quia dum semel fuerit filiorum, & proprietatem lex deferens eis præstiterit: tunc in successionibus & aliis accessionibus, ita & in his erit, sicut & in prioribus sanctum est filiis, qui propter secundas nuptias parentum, lucrum aliquod ex legibus sunt potiti.

CAP. II.

Ut repudio vel bona gratia soluto matrimonio, id [17] quod alteruri personæ cautum est, filio suo conserveet, & de alendis liberis a parentibus.

ILlud quoque ex quadam causa denunciatum nobis ad legislationem deducere existimavimus oportere. Quia enim transegerunt quidem inter alterutros & vir & uxor, filios autem qui eis erant ex matrimonio, despexerunt eos ambo, & circumibant mendicantes: propterea judicavimus vehementiori quidem forte, sed convertenti ad melius fe habens, uti lege: ut timore scilicet pœnarum quiescant, aut lucrorum causa injustorum matrimonia illacerare, aut etiam proprios negligere filios.

§. 1. Si enim omnino aut per transactionem, aut per modum alium separetur matrimonium: si quidem non sint filii, maneant priora in suo ordine. Si vero filiis existentibus fiat hoc: & neque filios erubescentes, dent tamen occasionem spontaneam & transactionis, & per consensum factæ, aut etiam invitæ, forsan peccante viro, aut committente digna amissione antenuptialis donationis, aut muliere digna casu dotis: neque vir dotem lucretur, neque mulier antenuptialem donationem: sed repente casu procedente aut dotis aut antenuptialis donationis, proprietatis lucrum mox ad communes veniat filios, & eorum fiat: usu solo apud transigentes manente: cogendo tamen eo qui usum [18] lucretur, filios ex eo matrimonio & alere [19], & alia omnia ministrare eis secundum lucratæ substantiæ mensuram. §. 2. Novimus autem aliquid etiam tale factum, & quia *bona gratia* [20] viso dissolvi matrimonio, & recedere quidem antenuptialem donationem ad eum qui conscripsit, dotem vero ad eam quæ obtulit: tamen occasione quasi damni, & aliarum causarum, auri quantitas non mediocris utrique data est parti, ut non videretur hoc nuptiale lucrum, neque servaretur filiis secundum de hoc leges: sed extrinsecus accedens, quasi ex alia causa lucrum fieret ejus qui accipere hoc egit. Ideoque ex hac arte factum curantes læsionem, sancimus, ut vel si quid tale fiat, & adveniat alteri aliquod lucrum: & hoc similiter servari filiis: proprietate quidem mox veniente ad eos, usu vero solo apud lucrantem constituto. Sic abstinebunt omni vitio, sic omni desiderio irrationabili: sic nec inviti, nec sponte, suis nocebunt filiis: sed erunt temperati, maxime quidem circa fuam castitatem: deinde etiam circa matrimonii affectum, quem competens est habere eos qui semel conjuncti sunt alterutris. Res enim est & castitate plena, & bonis moribus congrua, & paterno, maternoque affectu plena, ut quod eis parentes sponte non servant, hoc post Deum (qui est communis [21] omnibus pater, dicimus autem qui imperium habet) per legem iis, qui a parentibus læsi sunt, serveet: ut hic quoque ea quæ de lucris & successionibus pridem dispolita sunt, teneant: nihil enim eorum innovamus, præter illa sola quæ expressim in hac lege conscripsimus.

EPILOGUS.

† Quæ igitur placuerunt nobis, & per hanc sacram declarata sunt legem, tua celsitudo operi effectuique tradere festinet. Dat. 15. Kal. Jan. *Constantinop.* Imp. DN. JUSTIN. PP. Aug. Anno XIII. [22] JUST. V. C. CONS.

TIT. XI.

DE [23] REIS [24] PROMITTENDI.

NOVELLA CONSTIT. XCIX.

Imperator Justinianus Augustus Joanni gloriosiss. per Orientem prætoriorum præfecto, iterum exconsuli ordinario, & patricio.

PRÆFATIO.

NOvimus pridem ponentes legem [25] de electione mandatorum, & fidejussorum, & sponsorum, multas habentem & in commune utiles nostris subjectis legislationes. In præsenti vero & aliud nobis visum est egere quadam explanatione & incremento, non ex genere, neque usu imperfecto & inutili consistente.

1 *d. l.* 29. *l.* 30. *in fin.* 2 Hæc distinctio per hanc Novellam inventa est. 3 Negligentia admittenti nocet. 4 Contestatio moram purgat. 5 Non paterorum bonorum, sed collationis, vide *l.* 1. § 21. *ff. de collat.* 6 In *l.* 1. § 6. *ff. de collat.* 7 *de* § 6. 8 *d. l.* 29. *C. de jure dot.* 9 Id est, anno 539.

10 Appione. 11 Ut proprietas dotis vel antenuptialis donationis filiis communius conseveetur, mortua siliorum parentum persona, Jul. *Constit.* 9. huc refer *cap.* 1. Goth. Adde *Novell.* 127. *cap.* 3. Rittershus *part.* 5. *cap.* 14. Anf. 12 De lucris nuptialibus, *Index Regiae.*

13 Hic refer *c.* 2. J. *hic.* 14 Quæ hæc κυβερνητικὴ σοφία? Jurisprudentia, quæ legibus consistit, ab Aristotele sic appellatur, a Jurisconsultis vero Vera sapientia.

15 Hinc sumpta est Authentica, *Uxore. C. de secundis nupt.* 16 Et ita habet usumfructum. olim jure proprietatis, quam & alienare poterat. & ita abrogatur *Novell.* 22. *cap.* 20. 8. 1. *l.* 6. *in fin. l.* 6. *in fin. C. de secund. nuptiis.* Hodie proprietatis & *cap.* 9. *num.* 131. & 133. 17 Id quod ab alteruta persona lucrata est, filiis suis conferat &c. vid. Jul. *constit.* 91. *num.* 348. 18 Ut qui usum lucri nuptialis lucrant divortio facto, liberos alat. *Goth.* Vid. Gudelin. *tib.* 1. *cap.* 14. *num.* 3. Anf. 19 Parens, qui propter nuptias donationis usum fructum habet, liberos alere tenetur. *Novell.* 117. *c.* 7. 20 Si bona gratia matrimonium solvatur, & quasi transactionis nomine alteruta persona aliquid acceperit: nihilominus ejus proprietatem liberi habent: parens autem usumfructum. *Goth.* Vid. Gudelin. *de Jure Novissimo lib.* 1. *cap.* 11. Anf. 21 Deus communis omnium pater. 22 Id est, anno 539.

23 Περὶ ἀλλαγγυίων, Græci hic & 7. *Eclog. ex lib.* 26. *tit.* 2. *c.* 2. Sunt autem mutua vice fidejussores. Sic ἀλλαγγυῶν δικαιοῦται παντὶ τινὸς γνῶμ. apud Harmenop. 3. *tit.* 6. § 11. dicitur, quæ cum aliquo alio mutuum accipit, & vicissim pro eodem fidejubet. Eadem ratione in agris ἀλλαγγύων constitutione Basilii Porphyrogenetæ, *cap.* 2. cujus meminit quoque Cedrenus. *Goth.* Appendix hæc est *Novell.* 4. & est quinquennio posterior. *d. Novell.* 4. vid. Gradd. *de contractibus Fripaldi. c.* 5. *num.* 160.

24 De duobus reis, *Index Regiae*: de duobus reis promittendi Julianus *constit.* 92. dixi *L.* 45. *D.* 2.

25 *Novell.* 4.

CAP. I.

SI quis [1] enim alterna fidejussione obligatos sumat aliquos: si [2] quidem non adjecerit oportere & unum horum in solidum teneri: omnes ex æquo conventionem sustinere. Si vero aliquid etiam tale adjiciatur, servari quidem pactum: non [3] tamen mox ab initio unumquemque in solidum exigi: sed interim secundum partem qua unusquisque obligatus est: cedere autem eum & contra reliquos actionem, si & idonei sunt, & in eo loco, & si hoc ita se habere videatur: si quidem idonei [4] sint, & præsentes inveniantur, illos periclitari complere, (singulos in propria parte) quod sub alterna promissione creditum est, aut ex quo omnino obligati sunt, & non commune debitum, proprium cujusqiam fieri onus. Si vero minus idonei se habere reliquivideantur, sive omnes, sive quidam: sive in partem, sive in solidum, sive absentes forte: in illud tenere, quod accipere ab aliis non potuit. Sic enim & illis servabitur pactionis modus, & nullum sustinebit damnum actor, licet aliquid inter se illi pepigerint ignorante isto qui habet eos obligatos: & unusquisque tenebitur in id quod ab initio scripserit, artibus aut dolis, aut transactionibus prævaricari quæ constituta sunt, non sinendus.

§. 1. Sin autem in iisdem commorentur utrique aut omnes locis: sancimus negotii judicem deducere illos mox, & communiter examinare negotium, communiter autem inferre sententiam. Sic enim & rei omnes obligabuntur: & substantiæ eorum qualitas examinabitur: & debitum similiter quidem secundum justitiæ, similiter autem secundum legum ordinem procedet. §. 2. Si autem non administrator sit causæ judex, sed alter aliquis, damus licentiam aut hic competenti judici interpellationem suscipienti, aut in proviciis, his denunciatis clarissimo præsidi, aut competenti judici cogere per fiscum officium & illos interesse liti, & partem ejus fieri: ut nullum impedimentum huic nostræ legi fiat. his omnibus incipientibus in contractibus sequentis temporis, & ab hujus legis dispositione: quod autem ante eam præteriit, positis pro his relinquimus legibus.

EPILOGUS.

† Quæ igitur placuerunt nobis, & per hanc sacram declarata sunt legem, tua quoque celsitudo operi effectuique contradere festinet. Dat. 15. Kal. Januar. CP. Dom. JUSTIN. PP. August. Anno XIII. ARIONE V.C. CONS.

1 Hinc sumpta est Authentica, *Hoc ita*, *Cod. de duobus reis.* 2 Duobus simul obligatis, si non fuerit adjectum, ut in solidum teneantur, tacite intelliguntur teneri ex æquo, *l.* 11. *in fin. ff. h. t.* 3 Qui in solidum cum alio obligatus est, correo idoneo & præsente in solidum convenire non potest: non idoneo vel absente conveniri potest, *leg.* 26. *l.* 28. *ff. de fidejuss. l.* 10. *Cod. de fidejuss.* §. 3. *Instit. de fidejuss.* & ita abrogatur lex 47. *in fin. ff. locati*, *l.* 2. 3. §. 1. *ff. de duob. reis*, *l.* 2. 3. *Cod. hic.* 4 Beneficium est epistolæ D. Adriani, quod hic extenditur ad correos principales, de quo vid. *l. ult. C. de constit. pec. l.* 26. *ff. de fidejuss.* §. 4. *Instit. de fidejuss.* adde Paulum 1. *sit.* 20. *eap. unic.*

COLLATIO OCTAVA.

TIT. I.

DE [1] TEMPORE NON SOLUTÆ PECUNIÆ SUPER DOTE [2].

NOVELLA CONSTIT. C.

Imperator Justinianus Augustus Joanni gloriosiss. per Orientem prætoriorum præfecto, iterum exconsuli ordinario, & patricio.

PRÆFATIO.

OMnes pecuniæ non numeratæ replicationes [3] subjectas [4] in aliquibus casibus non [5] examinatas nostræ reliquerunt leges: sed prolixitatem earum & effusionem abbreviavimus, ne sua negligentia aut calliditate forsan negotiis [6] fruantur homines, & causas præbeant aliis: non enim sub æqualitate semper probationes erunt eas exhibere volentibus: multa quoque tempus refutat. Quapropter benefacientes abbreviavimus in quibusdam casibus pecuniæ non numeratæ querelas, quas licet ex iis quæ a nobis jam sancita sunt, colligere. Quia enim omne [7] tempus matrimonii dabatur viris, donec matrimonium constaret, queri de non data dote: interpositio quoque major facta est etiam post mortem virorum, ut & post repudium intra [8] annum daretur querela: ideo existimavimus brevi & compendiosa lege velocem facere & pecuniæ non numeratæ super dote querelam, & liberare a probatione mulieres in talibus ex longo tempore.

CAP. I.

De [9] dote non numerata.

SI ergo annis duobus [10] solummodo habeat aliquis uxorem, aut etiam his temporibus minus, & non accipiat dotem: nihil ex taciturnitate vir lædatur: neque heredes viri, licet tacuerit ille, sed intra [11] annum alium querela moveatur. brevitas enim matrimonii ad hanc nos legislationem vocat. Si vero majus biennio tempus, minus autem decennio matrimonium protendatur: damus marito queri, & dicere non illatam sibi dotem aut in partem aut in solidum: & si hoc fecerit, transmittere querelam, semel marito querente, & muliere quia dedit non probante. Si autem neque intra decennium [12] queratur, taciturnitate mariti auferimus querelam; neque ei post decennium hoc agere finemus, nec annum dantes ulterius heredibus ejus. sitque in hoc non nostra adversus aliquos pœna, sed libertatis subjectorum diligentia. Ubi enim licet in prolixo [13] sic tempore (decennii dicimus) proponere querelam: si tacere elegerit, palam est voluisse, vel si non accepit dotem, omnino eum, aut suos reddere heredes: his valentibus & si repudio solvi contingat matrimonium: in nullo discernentibus nobis, sive mulier tanquam dotem offerens conscribat, sive pater, sive alter quispiam pro ea: tempore in omni casu tali, sicuti prædiximus, extendente suos effectus, & dante vel perimente querelam. Contestationem [14] vero dicimus non in sermonibus solum: (sæpe enim indignationis, aut alterius incidens occasio, talia quædam virum præparat dicere: aut etiam ille quidem dixit nihil, testes autem redempti hoc mentiuntur) sed oportet contestationem [15] in literis esse. Si autem etiam in judicio eam aliquis forte facere voluerit, oportet omnino innotescere mulieri, aut ei qui dotem omnino offerre conscripsit. nam nihil est quod prohibeat maritum in semetipsum hoc agere, & queri, & quasi partem quidem mulieris quod agitur, ignorare: providentiam vero sui etiam ponere nullo valere modo: & quia vel ab eo querela facta est, nescire.

CAP. II.

GEneraliter [16] igitur [17] dicendum est, intra biennium quidem matrimonio soluto sive morte, sive repudio, & ipsi marito, de non numerata pecunia licere queri & heredi ejus intra alium annum. Si vero ultra biennium usque ad decem annos matrimonium extendatur, marito damus querelam & heredi ejus intra menses tres [18]. Si vero transcurrerit decennium: tunc neque marito, neque heredibus ejus querela erit, tempore ad omnia sufficiente mulieri. Et si quidem intra ætatem [19] maritus sit, & non queratur: tantum ad in integrum restitutionem ei damus tempus, ut non transcendat duodecim annos a tempore nuptiarum. Novimus enim eos qui vehementer citius contrahunt nuptias, non [20] minus quindecim annorum ad hoc procedentes. qua de re transit quintum & vicesimum annum; & erit possibile intra vicesimum septimum annum queri de non numerata pecunia dotis: moriente quoque eo intra prædictum tempus, heredes habere annum ad querelam.

§. 1. Si autem minores sint non querentis heredes, sive majoris, sive minoris: quinquennium habeant solummodo ad novendam querelam non numeratæ pecuniæ, sufficiente tempore, & non expectante exitum omnium minorum temporum: quod nos ad præsentem legem movit. muliere namque conjuncta quarto & decimo anno post vicesimum annum mortis patris, abutens minori ætate, movebat quidem contra matrem non numeratæ pecuniæ objiciens rationem post quartum & vicesimum nuptiarum annum, quod nos judicantes curavimus: & propter has circumstantias, & ætatem minorum in quinquennium in præsenti decernimus lege, illo videlicet non numeratam pecuniam objiciente, qui scriptus fuerit dotem suscepisse, & secundum sua tempora, sive perfectæ ætatis sit, sive minoris causa judicanda. Valente hac lege super iis quæ postea futuræ sunt nuptiis: super iis enim quæ constant, residuum est decennium aut non minus biennio, hoc habeat tempus in non numerata pecunia, quod ei etiam post transmissionem dabit. Si vero aut minus ei biennio reliquum est tempus, aut ejam excessit totum decennii tempus: tunc ipsis quidem biennium damus ad querelam non numeratæ pecuniæ: eorum autem heredibus, & post solutionem matrimonii intra tres menses: ut per omnia eis justitiam servemus.

EPILOGUS.

† Quæ igitur placuerunt nobis, & per hanc sacram declarata sunt legem, tua celsitudo effectui & fini contradere festinet. Dat. 13. Kal. Jan. CP. Dom. JUSTIN. PP. Aug. Anno XIII. ARIONE V. C. CONS.

TIT. II.

DE DONATIONIBUS A CURIALIBUS [21] FACTIS, SIVE AB INTESTATO VEL TESTAMENTO, EORUM SUCCESSORIBUS.

NOVELLA CONSTIT. CI.

Imperator Justinianus Augustus Joanni gloriosiss. per Orientem prætoriorum præfecto, iterum exconsuli ordinario & patricio.

PRÆFATIO.

BOnæ nobis sanctionis occasionem interpellatio quorundam curialium dedit. Et hanc legem facimus non ad quosdam curiales, sed ad omnes qui nobis obediunt: dicimus autem quantum quidem ad Orientem est, & quantum Occidens sol respicit, & quantum ex utrisque lateribus est. Quoniam enim solicitudo fuit eis qui ante nos fuerunt de curialibus & de collationibus in curias, quidam autem sunt qui trahuntur ad curiam, quidam vero liberantur, illud fancimus licentiam esse curialibus non solum ejusdem civitatis curiales heredes instituere, (hoc enim hactenus licitum fuit) sed etiam quosdam liberos a curia, si voluerint instituere heredes, hoc agere sub hac videlicet conditione ut offerat modis omnibus se heres, sive heredes conditioni curiæ defuncti, id est, ex qua ille progressus est, & curialis sit particeps functionis, & hereditatem nullo impediente percipiat. Scientes enim quia hæc res erit in præsenti correctio, quoniam nunc quidem adjicitur curiæ ex iltis modis in pecunia utilitas, ex futura vero legislatione, & curialis, & substantia proficiet, & (florebit curia corporibus pluribus &) substantias habebit eorum.

1 *Nov.* 2. *cap.* 5. 2 De non numerata dote, *Index Regina.* de dote cauta vel adscripta, non numerata, Julian. *const.* 95. adde *L.* 5. *C.* 15. 3 Exceptiones. 4 Quæ proponebantur & allegabantur. 5 Lege, non *inexaminatas*, id est, non inexcussas. 6 Id est, minus negotiatione fruantur homines. 7 Hoc abrogatur *J. hic cap.* 1. 8 Hoc etiam abrogatur *J. hic.* 9 Περὶ ἀναφορᾶς προικός. 23. *Eclog. ex lib.* 29. *tit.* 3. *c.* 1. §. 3. & 3. Harmenop. 5. §. 11. 10 Id est, si duobus annis durat matrimonium. 11 Si biennio tantum duravit matrimonium, exceptio non numeratæ dotis anno post finiretur, *l. ult. Cod. de dot. cauf.* si plus biennio, non plus tamen decennii, tempore, tribus post mensibus J. Si plus decennio, maritus nunquam queri poteit de dote. 12 Decennio præcribitur omnis querela dotis non numeratæ, ut sit finius: Poteit vir defuncta uxore exigere sibi promissum dotem intra decennium duntaxat. 4. Harmenop. 9. §. 7. 13 Decennium prolixum tempus. 14 Hinc sumpta est Authentica, *Hoc autem. C. de non numer. pecun.*

15 Querelam non numeratæ dotis contestandam esse non nuda denunciatione, sed literis: in judicium vocata muliere, vel eo, qui pro ea detem capit. *l.* 14. §. 4. *C. de non numr. pecun.* Contestatio perpetuat exceptionem & transfert onus probandi in adtorem. *l.* 3. *C. de non num.* nisi ex chirographo, in quo sit adscripta debiti causa, agatur, *l.* 13. *Cod. de non num.* 16 Hinc sumpta est Authentica, *Si minor. C. de tempor. in integr. restitut.* & Authent. *Quod locum. C. de dote cauta & non num.* 17 Nota regulam. 18 De tribus mensibus vid. Cujac. *c.* 14. *de diverf. temp.* 19 Id est, infra 25. annorum. Ætas enim id hic significat, & Græci, εἰ μὴ ἡ ἡβήσας. 20 Pubertas in nuptiis contrahendis finitur anno 14. in masculis: 12. in feminis, non affecto, sed expleto, vid. *Novell. Leon.* 74.

21 Περὶ βουλευτῶν Græci *hoc loco.* De curialibus Julian. *const.* 93. de decurionibus, *Index Regina.* adde *Novell.* 89. *cap.* 3. & 4.

CAP. I.

PRopterea sancimus licentiam esse eis qui curiales sunt, dum testamenta [1] condent, uti heredibus sive curialibus ejusdem civitatis voluerint (hoc lege permittentes) sive quibusvis ex suo genere, sive extraneis: sive curiales fuerint, sive non, sive in portionem non minus novem unciarum, vel certe in integrum, dantibus se tamen curiæ & unitis ejus corpori & explentibus inculpabiliter functiones. Hoc valente circa ipsos filios & nepotes & residuos successores, non tamen secundum modum, secundum quem ante paululum constitutio promulgata circa eos, qui se curiæ offerunt, præceperat prolem eorum qui se obtulerunt ad conditionem non trahens, sed tanquam si ab initio fuissent constituti curiales, ita & ipsi cum propria prole curiæ uniti & albo & corpori. Neque [2] enim quicquam differt, aut cum qui est curialis ejusdem civitatis scribere heredem, aut cum qui mox erit.

CAP. II.

SEd & si quis consanguineus curialis existens, vel aliter ab eadem conditione liber ad successionem curialis defuncti fuerit vocatus tanquam ejus qui non [3] scripserit testamentum, voluerit autem & ille seipsum dare curiæ, licere ipsi hoc agere, & suam voluntatem in actis indicare intra [4] menses sex: & pariter curialem cum suis successoribus atque substantia pariter, & fieri heredem, nihil omnino ex eadem substantia expetendo occasione quartæ portionis seu novem unciarum, semel eo qui successerit in hereditatem aut curiali existente, aut mox extituro, & re ac substantia rursus ad curiam veniente. Sed & si quis donaverit res propriæ facultatis, aut multas, aut omnino non minus novem [5] unciarum vel curiali ejusdem civitatis existenti, vel alii cuidam, offerens tamen se & propriam substantiam atque prolem sive quæ est, sive quæ erit, & residuam successionem curiæ, cujus est qui donationem fecit, fancimus valere [6] factam sub hac conditione largitatem. omnimodo enim nobis studii dignum est videre, ut nullo modo substantiæ curialium alienentur a curia illius civitatis cujus sunt curiales.

CAP. III.

UT autem non ad collusionem hæc fieri videantur, & quidam domini effecti hereditatum curialium aut per donationes, aut per testamentum, (secundum quod prædiximus) aut ab intestato deferantur, & propter hanc oblationem, & rebus quidem frui velint, oblationem autem suam non faciant: Sancimus si quidem per donationem, hoc quod prædictum est, dederit, non prius traditionem fieri rerum, sed hoc manere apud donatorem, donec is qui donationem accepit, inter gesta [7] confecta apud judicem provinciæ, gratis & citra omnem dationem secundum prædictum modum, datus fuerit curiæ, & mox conscriptus albo [8], tunc enim etiam res ei dari volumus. Quod si donator tradiderit res, & necdum confessione facta quæ accipientem societ curiæ, etiam sic defendi quæ donata sunt curiæ, usque ad novem uncias, in quibus omnino vocari curiam censemus. §. 1. Quod si ex testamento, aut per vocationem [9] legis, qui non est curialis, ad successionem perveniat curialis, tunc mox a morte curialis concurrere curiam, & una cum defensore civitatis, præter [10] læsionem futuram rerum defuncti, descriptionem fieri rerum [11] præsente etiam eo qui ad hæc vocatur, & res tradi curiæ sub facto signaculo [12] tam defensoris quam [13] Deo amatoris episcopi, & dum prædicta actio gestorum facta fuerit apud judicem provinciæ, & data fuerit curiæ, secundum quod frequenter dictum est, cum substantia, & prole quæ est & quæ fuerit, tunc eum & res percipere & esse eum dominum secundum quod & prior ille curialis fuit, nihil ab eo differre visus. His gestis sine dubio apud judicem provinciæ habitis præter omne lucrum & dispendium. Neque enim ad illusionem vel ad dispendium curiæ, sed ad utilitatem hanc proferimus sanctionem, ut in perpetuum valeat, augens & corporibus & pecuniis curialium facultates, atque substantias. Si vero is qui ab intestato vocatur curialis heres, non tamen existens & ipse curialis, noluerit adire & se dare curiæ, curia quidem teneat novem uncias, tantummodo autem ipse dominus efficietur trium unciarum, quas ei dat & anterior lex vel si non fuerit curialis. Quod si plures fuerint ejusdem gradus qui vocantur ad curialis hereditatem, & quidam dederint se, quidam recusaverint, novem quidem uncias accipere eum vel eos qui se dederint curiæ, tres autem uncias residuos, qui ex lege vocantur, accipere heredes. Studium enim nobis est omnimodo novem uncias ad curiales ejusdem civitatis pervenire.

CAP. IV.

SIn autem defunctus fuerit quidam superstite filia, si nupta [14] quidem fuerit curiali ejusdem civitatis, dubium non est, quia præter calumniam habebit paternas res, aut in integro, aut omnimodo novem uncias, si forte ad alium quendam pater voluerit tres uncias pervenire: & si non ab initio existenti curiali nupta fuerit, accesserit autem quidam ad ejus nuptias, volens eam ad hoc accipere, ut sit curialis & dare se curiæ, & stabiles ei nuptiæ fuerint: etiam sic habere novem uncias sine calumnia, occasione bonæ circa curiam voluntatis: & qui curialis offertur rebus & gubernabit eas, propter quod & omnimodo mulieri dari eas volumus. Quod si plures fuerint filiæ, & quædam ex his nuptæ fuerint curialibus aut existentibus aut per oblationem factis, novem unciæ quidem inter eas dividendæ sunt: ad residuas autem tres unciæ quidem venient, illi autem qui uxores eas acceperint, usuri sunt rebus ipsis ad curiales causas, licet in dominio sint uxoris. propterea enim eis dedimus res patris, ut exinde conjuges earum impleant curiæ functiones. Quod si contigerit deficere eam quæ nupta fuerat illi, qui se curiæ tradidit, si quidem filios masculos de eo habuerit, apud filios erunt res, & ipsi erunt in curia, & nulla tergiversatione res indigebit.

§. 1. Quod si fœminæ fuerint quæ natæ sunt, & si ipsæ quibusdam nuptæ fuerint, aut curialibus ejusdem civitatis, aut qui se ipsos dederint curiæ ejusdem civitatis, similiter & ipsæ eas habebunt sine ulla molestia, subjectas curiæ functionibus per proprios viros. Quod si non nuptæ fuerint, tunc secundum datam olim divisionem, nuptæ quidem curialibus novem uncias habebunt, propter quas functiones curiæ compleantur, residuis autem sufficient [15] tres unciæ. Quod si neque masculi neque fœminæ eis erunt, quousque vir superest, habeat earum usum, explens in eis curiæ functiones, & si quidem ad secundas venerit nuptias & filiorum fuerit effectus pater masculorum seu fœminarum, & has conjunxerit curialibus, rursus similiter curiæ servabuntur corpori: quod si mortuus fuerit aut ad secundas nuptias non venerit, aut filias non procreans, eas non sociaverit curialibus vel qui sunt vel qui fuerint, tunc recto ordine curia has res accipiet, neque enim unquam hanc partem curialium copiarum & functionum alienari concedimus: vel si ad plurimos redactum fuerit genus successionis, quatenus per omnes, hac linea descendentes, sive per masculos liberos curialium, sive per generos dantes se curiis, novem unciæ curiæ salvæ sint. Quam legem valere volumus in omni deinceps tempore, & in causis adhuc etiam nunc pendentibus, & quæ consecutæ non sunt judiciali sententia aut amicabili interventu absolutionem.

EPILOGUS.

† Quæ igitur visa nobis sunt, & hac sacra lege declarata, tua excellentia custodire festinet, maxime omnium utilitatis publicæ providentiam omnem faciens. Dat. Kalend. Aprilis, CP. DN. JUSTIN. PP. Aug. ARIONE V. C. CONS.

TIT. III.

DE [16] MODERATORE ARABIÆ [17].

NOVELLA CONSTIT. CII.

Imperator Justinianus Augustus Joanni gloriosiss. Orientalium prætoriorum præfecto, iterum exconsuli ordinario, & patricio.

PRÆFATIO.

CUm plerosque alios provinciarum magistratus ad meliorem jam formam traduximus, qui humiles abjectique prius existentes, neque ulli rei convenienter agendæ idonei, postquam in ampliorem constituimus ordinem, & valentiores per omnia facti sunt, & ita rerum administrationem capessere coeperunt, ut universa in melius commutarentur: tum vero a nobis etiam proconsules & prætores, & moderatores, & veterum horum nominum amplitudo inventa est, auctæque ipsis annonæ, & summa [18] potestas data, & ante omnia interdictum illis fuit, ne perniciem inferant subditis, & multis ad ipsos diripiendos utantur manibus, juramentis quoque rem munivimus omnium horrendissimis [19]: neque aliter eis officia tradimus, quam præstitis juramentis, in codicillis magistratus digni fuit habiti. Convertimus igitur & ad Arabum regionem oculos, & requisita causa, quamobrem & publicum laboret inopia, quamquam regio florentissima [20] sit, & tam magnus nos interpellantium numerus iis locis excedat, & omnes lamententur, alii furta & rapinas, alii injurias, alii alia damna in querelam deferentes: occasionem & causam hujus mali ex imbecillitate & impotentia eorum qui magistratum ibi gerunt, provenire deprehendimus. Erat enim ita tenui potestate præditus is qui civili magistratu defungebatur, ut [21] ei qui præesset armis, servili propemodum more manciparetur, & in illius arbitrio hujus salus esset posita, aut ut ne esset quidem omnino hic magistratus. Inde adeo & longum tempus est, ex quo is deserit, & militaris ea quæ civilem magistratum concernunt, peragat. *Cum tamen neque sibi, neque ipsi per omnia sufficiat. In hoc enim est, non ut utilitatem aliquam subditis adferat, sed ut utrinque lucrum capiat.*

CAP. I.

HÆc nos ad suscipiendum præsens consilium excitarunt: & præsenti utentes lege, magistratum ad pulchriorem formam transponimus, benigneque & ipsi Moderatoris appellationem largimur, (id quod etiam in Ponto fecimus [22]) & spectabilium magistratuum jus concedimus, ut in nullo sit Duciano [23] inferior [24]. Sed & publicis [25] exactionibus cum summa vehementia adhærescito, adhærescito etiam privatorum utilitati, neque committito, ut vel spectabilis dux, vel tribunus, vel aliqua potentiorum domuum, vel etiam sacrum patrimonium, vel sacræ nostræ res privatæ, vel ipsa sacra nostra domus, qualecunque subditis nostris damnum irroget: neque facile succumbito, neque formidinem [26] contrahito: sed viriliter subditis præsito, & ante omnia Deo pariter ac nobis, & legi puras conservato manus, si quidem iisdem juramentis [27] & hunc submitti volumus, quibus & cæteros magistratus submissimus. Deinde cum codicillis percipito etiam Imperialia mandata: quæ tam ante nos legumlatores, quam vetus illa reipublicæ forma novit, & nos cum pene obsolevissent, denuo reparavimus, & in rempublicam reduximus: ut ea semper adhibeat veluti in colloquium, & justiones nostras custo-

1 *Nov.* 2. *cap.* 5. 2 De non numerata dote, *Index Regina.* de dote cauta vel adscripta, non numerata, Julian. *const.* 95. adde *L.* 5. *C.* 15. 3 Exceptiones. 4 Quæ proponebantur & allegabantur. 5 Lege, non *inexaminatas*, id est, non inexcussas. 6 Id est, minus negotiatione fruantur homines. 7 Hoc abrogatur *J. hic cap.* 1. 8 Hoc etiam abrogatur *J. hic.* 9 Περὶ ἀναφορᾶς προικός. 23. *Eclog. ex lib.* 29. *tit.* 3. *c.* 1. §. 3. & 3. Harmenop. 5. §. 11. 10 Id est, si duobus annis durat matrimonium. 11 Si biennio tantum duravit matrimonium, exceptio non numeratæ dotis anno post finiretur, *l. ult. Cod. de dot. caut.* si plus biennio, non plus tamen decennii, tempore, tribus post mensibus J. Si plus decennio, maritus nunquam queri poteit de dote. 12 Decennio præcribitur omnis querela dotis non numeratæ, ut sit finius: Poteit vir defuncta uxore exigere sibi promissum dotem intra decennium duntaxat. 4. Harmenop. 9. §. 7. 13 Decennium prolixum tempus. 14 Hinc sumpta est Authentica, *Hoc autem. C. de non numer. pecun.*

15 Querelam non numeratæ dotis contestandam esse non nuda denunciatione, sed literis: in judicium vocata muliere, vel eo, qui pro ea detem capit. *l.* 14. §. 4. *C. de non numr. pecun.* Contestatio perpetuat exceptionem & transfert onus probandi in adtorem. *l.* 3. *C. de non num.* nisi ex chirographo, in quo sit adscripta debiti causa, agatur, *l.* 13. *Cod. de non num.* 16 Hinc sumpta est Authentica, *Si minor. C. de tempor. in integr. restitut.* & Authent. *Quod locum. C. de dote cauta & non num.* 17 Nota regulam. 18 De tribus mensibus vid. Cujac. *c.* 14. *de diverf. temp.* 19 Id est, infra 25. annorum. Ætas enim id hic significat, & Græci, εἰ μὴ ἡ ἡβήσας. 20 Pubertas in nuptiis contrahendis finitur anno 14. in masculis: 12. in feminis, non affecto, sed expleto, vid. *Novell. Leon.* 74.

16 *c.* 6. *Eclog.* 15. de officio moderatoris Arabiæ, Julian. *const.* 95. 17 Quam Trajanus obtemperare Regibus Romanis computit, provinciæ nomine imposito, rectorisque adtributo. Ammian. 14. 18 Καὶ ἐξουσία δίδοται πᾶσα. 19 Φοβερώτατοι. 20 Arabiæ locus. vid. Ammian. *lib.* 14. 21 Civiles magistratus regionum non ita sunt negligendi, ut eorum dignitas præ militarius vilescat, & sint militarium veluti servi. 22 *Supr. de moderatore Heliopoli. Novell.* 28. 23 Id est, duci militari, Jul. *hic.* 24 Duciatus dignitas magistratus civilis Arabiæ. 25 Objecta moderatoris Arabiæ. 26 Julianus ita refert, si justitiam secum habeat, non timeat neque ducem, neque *Ptolarchum*, id est, Saracenorum ducem, neque potentium domus &c. *hac lib.* Phylarchi ergo, Justiniano teste, Saracenorum duces seu optionum. Procopius *t. de bello Persico*, οὗτοι δὲ οὐδὲ Ῥωμαίων τοῦ τῶν ἀρχόντων ἐπιτάγματος πλέον τι ἢ Σαρακηνῶν Ῥωμαίων τυπτόντων ἠγωνίσατο οἱ Φύλαρχοι ἐπικαλοῦνται, & post, καὶ αὐτὸν βασιλεὺς Φύλαρχος τῶν ἐν Παλαιστίνῃ Σαρακηνῶν κατεστήσατο. Theodorus Anagnostes 2. Ἀλαμουνδαρὰς τοῦ Φυλάρχου Σαρακηνῶν vid. Cujac. *ad l.* 7. *Cod. de exact. tribut.* Sextus Rufus, Phylarchi Saracenorum in Osroëna cessere superati. Jornandes, in Osroëne, Saracenorum Phylarchi deviti Romanis se dediderunt. *Idem ad Novell.* 22. adde & illud ex Ammiano 24. Malechus Podofaces nomine, Phylarchus Saracenorum Assanitarum, famosi nominis latro. Dz Phylarchis Arabiæ & Emesenorum dixi 15. *Epistolarum familiarium Ciceronis* 1. adde Strabonem 16. 27 *Nov.* 8. *tit.* 3.